

illam? Quæ si humili loco et subjectus es, jam hoc ipso abjectus quoque, et potentiorum jugo pressus es; unde tot lamenta clamantium in cœlum.

Secundo, si de excelso stemmate principum aut regum es, ducere cogis sponsum aut sponsam, quam parentes aut regni proceres volunt, non quam tu desideras. Et hinc quam multa sæpe incommoda et miseriæ in principum connubiis! Quod si de vili plebe es, connubium honestum difficile reperies. Taceo innumera alia pericula, curas, insidias, etc.

Tertio, si dives es, iterum miser in conservandis, augendis, dispensandis opibus perpetuo sollicitus; aliorum quoque dieteris et insidiis expositus (unde dicit Sophocles: *Invidia sequitur divites*;) ad hæc inexplebilis, nihil te habere putabis, nisi alia et alia acquiras; interim non tam tibi quam aliis laboras: si vero pauper es, jam hoc ipse miser, de crastino sollicitus, ob divitum avaritiam querulus, et constitutus in periculo mentiendi et furandi. Unde S. Bern. serm. de obed. et patientia ait: «Sudat pauper in opere foris, sed numquid minus anxie dives intus in ipsa sua cogitatione laborat?» Et serm. de miseria humana: «Nemo quippe ex filiis Adæ sine labore hic vivit, nemo sine dolore. Aperit pauper os suum in oscitatione; aperit dives in eructatione: et interdum hic gravius fastidio, quam ille media cruciatur.»

Quarto, si uxoratus es, in labyrintho miserrimum es. Quid enim tibi non calamitatis in tam forti vinculo, quod non nisi mors dissolvit? Ibi servitus mutua, ibi zelotypia, ibi jurgia, et insidia, ibi cura filiorum, ibi aut conjunctio violenta, et hoc ipso miseria, aut separatio per mortem luctuosa. Denique: «Sicut servi fugitivi, inquit S. Chrysostomus, lib. de virginitate, cap. XLI. singuli separatim vincuntur a suis dominis, rursusque tenui quadam catena inter se constricti, alius alium sequi cogitur, et liberam non habent abeundi facultatem: sic conjuges, eum sui curam sustinent, a communibus conjugii vinculis necessitate premuntur.»

Quo si cælebs es, a magno quidem onere liber es: interim tamen adjutorio cares, et cum

propria carne bellum tibi est, quod sensit in se Paulus, et tam moleste tulit, ut mortem sibi optaret, ad Roman. VII. Ubique igitur pugnae, ubique miseriæ.

Quinto, si habeas liberos, miseriæ etiam habebis in educandis, edocendis, perdendis, dotandis, et si reprobi fuerint, tolerandis. Certe Rebecca mori præoptabat, quam videre filium malo matrimonio illigatum: *Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, inquit, nolo vivere*, Genes. XXVII. Quid si Jacob ipse improbus fuisset, aut matrem vexasset? Si liberos non habeas, miserum te censebis desiderio illorum; et iterum mortem forsitan optabis cum Rachele illa sterili, dicende ad maritum: *Da mihi liberos, alioquin moriur*, Genes. XXX.

Sexto, si habes amicos, habebis et commensales: habebis et qui crebro tuam opem invocabunt, crebro te molestabunt. Si nullos habeas, jam hoc ipso miser, quia in necessitate desolatus vives.

Septimo denique, nemo nisi magna virtute præditus, sua sorte contentus est; nemo sine cruce; nemo qui non putet aliis omnibus melius esse quam sibi. Si in hac regione degas, cupis degere alibi, quod hic tibi desint ista et ista: idem dicunt qui alibi degunt. Nimirum in terra sumus, non in cœlo; in exilio non in patria.

Itaque consideratis omnibus, si sapimus, cum S. Monica dicemus: *Nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, et cur hic sim nescio; jam consumpta spe hujus sæculi. Quid hic facio?* Augustinus, lib. IX. confess. cap. X. Ciconiæ, quando obsidente Aquileiam Attila, adverterunt civitatem ad extrema redactam, squalore, extintorum cadaveribus, et viventium lamentationibus repletam, inde migrarunt, et hoc ipso Attilam ad persistendum in obsidione admonuerunt. Nos dum tot undique malis premi nos videmus in hoc mundo, cur non in tutiorem locum emigrare desideremus? Colligamus igitur sarcinas, accingamus nos ad iter, et disponat quisque domui suæ, velut moriturus, et ad Christum migraturus.

IN DOMINICA PENTECOSTES.

EVANGELIUM. JOAN. XIV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixerò vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatam dedit mihi Pater, sic facio.

CONCIONES.

- | | |
|--|----------------------------------|
| I. Gaudium et solemnitas hujus festi proponitur. | VII. Communicaturus sit columba. |
| II. Dispositiones ad Spiritus sancti seu gratiæ receptionem. | VIII. Documenta. |
| III. Quanta bona conferat Spiritus sanctus per gratiam habituales. | IX. Mystera. |
| IV. Signa inhabitantis Spiritus sancti, seu gratiæ in homine. | |
| V. Circumstantiæ adventus Spiritus sancti. | |
| VI. Varii timores pelluntur igne charitatis. | |

CONCIONES AUCTARII.

- I. Mundus a Spiritu sancto renovatus.
- II. Spiritus sanctus cur in spiritu vehementi venerit.
- III. Sacramenti confirmationis fructus.
- IV. Lingua reformata a Spiritu sancto.
- V. Pax Christi qualis sit.

CONCIO I.

GAUDIUM ET SOLEMNITAS HUIUS FESTI PROPONITUR.

- I. Quia hodie nuntiatum nobis Christum dominari in cœlis. — II. Quia nuntiatum nobis pax Dei cum hominibus. — III. Quia hodie lex gratiæ cœpit. — IV. Quia hodie incepit jubilæum Christianorum. — V. Quia hodie sacramentum confirmationis primo administratum. — VI. Quia hodie maximum donum Ecclesiæ.

THEMA.

Factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis. Act. II.

Festum pentecostes, quod hodie peragimus, summa cum animi lætitia et veneratione suscipiendum esse, docemur vel a Judæis, qui, ut

tradunt aliqui (apud Corn. a Lap. in Act. cap. II.) in suis olim synagogis a paschate usque ad suam pentecosten quotidie in synagoga convenire soliti numerabant singulos dies, qui interjacebant, dicendo: *Hic est primus dies, hic secundus, hic tertius, etc.* donec complerentur quinquaginta dies, quos claudit pentecoste. Rationem dat Rabbi Moyses in resolutione dubiorum legis, lib. III. cap. XLIV. quod Deus statuerit quinquaginta diebus suum in Sina adventum a Judæis expectandum, ut per tot dierum moram sui adventus desiderium in eis accenderet: *Sicut, inquit, qui expectat visionem amici quem diligit ea animo, numerat dies donec videat ipsum.* Quod si hoc Judæi, qui legem ab angelo acceperunt, quid fecisse putamus apostolos cæterosque primos fideles ab ascensu Christi usque ad pentecosten?

expectantes ipsum Spiritum sanctum? Annon illos singulas horas, ne dicar dies, numerasse dicemus? Quanto enim præstantius donum est ipse legislator Spiritus sanctus quam ipsius lex, tanto majus fuit gaudium apostolorum gaudio Judæorum in hodierna die. Jam vero, auditores, gaudium apostolorum nobis etiam commune est, vel certe esse debet; idem enim donum est nos e caelo accipere, si voluerimus, possumus; si nimirum ad Spiritus sancti adventum digne nos paremus. Nunc porro audiamus, quam obrem hic dies gaudio plenus sit.

I. Quia hodie accepimus nuntium certissimum, quod Christus Dominus noster in caelo appulerit apud Patrem tamquam advocatus noster et regnum caeli tamquam victor occupavit nobis. Hoc enim nuntium attulit nobis Spiritus sanctus, quem idcirco in terras misit Christus, ut testaretur nobis triumphalem ejus ingressum in regnum caelorum. Prius quidem obseratum fuisse caelum noveramus et custoditum a Cherubim flammeoque gladio. Has exequias nunc sublatas esse nuntiat Spiritus sanctus, et caeli aditum nobis patefactum. Cur non ergo hodie letemur, nobis Spiritus sanctus nuntiat caeli regiam pro nobis a Christo duce nostro occupatam? Sane caelum ipsum triumphum istum nobis annuntiat, cum quasi tormenta bellica explosit: *Factus enim repente de caelo sonus, etc.*

II. Quia hodie nuntiatur nobis pax et amicitia Dei cum genere humano siquidem caelum hodie cum terra communionem habere coepit, uti indicat ignis de caelo in capita Christianorum delapsus, ignis inquam placidus, innoxius, fovens, recreans, non devorans nec consumens. Certe ad ostendendum, quod Abelis sacrificium Deo acceptum esset, misit Deus ignem de caelo, qui consumeret illud, juxta communem sententiam, quam confirmat versio Theodotionis, quæ habet: *Ustulavit Dominus super Abel et sacrificium ejus.* Pari modo ignis hodie de caelo lapsus, et sedens supra singulos in cœtu fidelium congregatos, ostendit Ecclesiam Deo reconciliatam, placitam et acceptam esse. Ignis in veteri lege terribiliter sæviit in rebelles, etiam Judæos; et qui in monte Sinai apparuit, terribilis fuit et accensibilis, ut ait apostolus, ad Hebr. XII. id est, incensus, vehemens, *ardens usque ad caelum*, ut asserit Moyses, Deuteron. IV. Unde designabat Deum adhuc iratum et implicatum. Ignis vero iste innoxius fuit et placidus, quia denotabat Deum placatum et mundo reconciliatum.

Ad hæc quando reges sibi invicem munera mittunt, fœderis et amicitiae signum est. Jam autem genus humanum miserat Deo munus ante paucos dies, animas scilicet sanctorum patrum, quas e limbo eductas, secum Christum in caelum

evexit, animas inquam sanctissimas, Davidis, Joannis Baptistæ, S. Josephi, boni Læronis, etc. sed imprimis Christum Dominum aeternam gloriae. Misit vicissim hodie Deus generi humano munus reciprocum, Spiritum sanctum. Argumentum ergo hoc est pacem et amicitiam factam esse inter Deum et humanum genus.

III. Quia hodie lex gratiæ promulgata et incepta est: vetus autem Mosaica, quod servitutis et timoris erat et jugum importabile, abrogata; hinc probabiliter existimant, pentecosten Judæorum anno passionis Christi, incidisse in diem sabbati, pentecosten vero Christianorum in diem dominicum sequentem; ut sicut sabbatum transiit apud Christianos in diem dominicam, ita transiret pentecoste Christianorum in diem sequentem; quo sciremus legem veterem transisse in novam; siquidem pentecoste Judæorum instituta est ob memoriam et beneficium datæ legis decalogi secundum Hieronymum, epist. ad Fabiol. de XLII. mans. et August. q. XCV. in quæst. ex novo testam. et alios, quinquagesimo die post Judæorum pascha. Magnum autem beneficium est lex, quia est radius quidam lucis et legis æternæ, quæ est Deus; sine qua a Deo ejusque mente ac voluntate gravissime aberraremus. Demosthenes dicebat leges esse civitatis animam, Philo, l. de Josepho, ait legem esse civitati, quod medicus est ægro.

Porro in multis convenit promulgatio legis veteris cum hac nostræ legis promulgatione. Primo, quia utrobique data et promulgata est a Deo lex quinquagesimo die a paschate; ibi in monte Sinai, hic in monte Sion. Sed ibi lex timoris et jugum grave, hic lex amoris et jugum suave.

Secundo, ibi visebatur ignis, turbo, terræ motus, ut habetur Ps. LXVII. *Terra mota est, etenim caeli distillaverunt, etc.* hic igneæ apparere linguæ, sonitus de caelo tamquam spiritus vehementis, et contremuit domus apostolorum.

Tertio, ibi audiebatur sonitus buccinæ, qui paulatim crescebat. Hic audita est prædicatio apostolica, qua bellum indicabatur, primo, homini contra seipsum; deinde, toti mundo et præsertim idololatriæ. Ea vox paulatim per orbem crevit, et tandem: *In omnem terram exivit sonus eorum.*

IV. Ibi secuta est pluvia, etenim ut habetur Ps. LXVII. *Cæli distillaverunt.* Hic effudit Spiritus sanctus gratiam super omnes, ut loquerentur variis linguis, impleverentur sapientia et robore ad quævis ferenda.

Quinto, quia hodie coepit jubilæum Christianorum, et aurea porta plenariæ remissionis mundo aperta est. Promulgatum est hoc jubilæum sono de caelo facto qui audiebatur per

Jerosolymam; quomodo edicta regia promulgari solent cum tubæ sonitu. Præco erat S. Petrus, ad cujus promulgationem primum venerunt mox ad tria millia peregrinorum, ut de jubilæo hoc participarent. Et quia hi ex diversis nationibus hæc venerant, nuntiaverunt idem suis regionibus. Atque hic est annus ille Domini acceptus, cujus mentionem fecit Christus, Luc. IV. in prima sua concione. Est autem annus misericordiæ, remissionis, reconciliationis, pacis, salutis, liberalitatis, gaudii, in quo post longam Dei iram restituimur in Dei gratiam, et acceptationem, hæreditatem, gloriam, aliaque bona pristina, quæ habuissemus in paradiso et statu innocentiae vel his meliora. In jubilæo legis veteris, qui erat annus quinquagesimus, revertebatur unusquisque ad possessionem suam, Levit. XXV. deinde, ibi remittebantur et obliterabantur omnia debita. Et hic fit remissio peccatorum; et præterea jubetur unusquisque remittere fratri suo, quod contra ipsum habet; ut fit omnium credentium *cor unum et anima una*, uti erat olim in primis Christianis, Act. IV. denique, servi omnes in jubilæo manumittebantur et fiebant liberi. Et hic in lege nova discimus non amplius servili cum timore, sed filiali, et cum amore Dei voluntatem facere, et mandata ejus observare.

V. Quia hodie sacramentum confirmationis primo administratum est, licet modo extraordinario; dum a Christo Spiritus sanctus missus est in Christianos, qui ad id usque tempus pavidi erant; et ita missus: *Ut maneret cum ipsis in æternum*, juxta promissionem Christi Joann. XIV. adeoque ut deinceps non modo non timerent amplius ullas minas et tormenta tyrannorum et magistratum obloquentium, sed gauderent etiam pro nomine Jesu contumelias pati. Ex hoc temporis articulo Petrus qui prius ad vocem ancillæ tremebat, statim coram omnibus extollere et prædicare Jesum coepit ejusque resurrectionem et ascensionem contestari; imo arguere Judæos, quod eum, cum esset sanctus et justus ac prodigiis glorificatus Deique Filius, ausi sint interimere. Hodie discipuli, qui paulo ante vasa lutea et infirma, nondum excocta erant, in fornace ignis divini indurati, et quodammodo ænei facti sunt atque ita penetrabiles, adeoque etiam in gratia confirmati, ut deinceps lethaliter non delinquerent, ut habet communis theologorum sententia; et probari potest ex illo Joann. XIV. *Ut maneat vobiscum in æternum.*

VI. Quia hodie donum omni comparatione majus Ecclesiæ collatum est Spiritus sanctus scilicet, tertia divinitatis Persona, reipsa et secundum se; ita ut infidelium cordibus vere et personaliter inhabitaret eosque sanctificaret et

igniret, quasi sua divinitate, sicut ignis penetrat; et ignit ferrum, ut jam non tam ferrum quam ignis esse videatur. Neque solum Spiritus sanctus, sed et Pater et Filius cum eo in hominem descendit, per concomitantiam, quia inseparabiles; quomodo in consecratione hostiæ corpus Christi directe, anima vero et sanguis per concomitantiam ibi constituitur, accepimus ergo hodie de caelo non dona tantum Dei gratiam, charitatem, virtutes alias, sed ipsum donatorem Deum; non rivulos tantum, sed ipsum fontem; non fructus tantum sed ipsam arborem. Hinc animæ justorum factæ sunt Dei domus, templum, thronus, et quodammodo caelum ipsum.

Superest nunc ut videamus, qua ratione nos hujus gaudii participes reddamur; quod fiet, si quæ huic magno et sancto hospiti adversantur, e cordis nostri medio sustulerimus peccata, et præterea domum cordis nostris sanctis emendandæ vitæ propositis ornaverimus, etc.

CONCIO II.

DISPOSITIONES AD SPIRITUS SANCTI, SIVE GRATIÆ RECEPTIONEM.

- I. Mens a terrenis ad Deum et caelestia elevanda. —
- II. Opera misericordiæ exercenda. — III. Reconciliation et unio animorum. — IV. Oratio perseverans. — V. Erant orantes cum Maria Matre. — VI. Erant in domo sedentes. — VII. Perfecta penitentia.

THEMA.

Cum complerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Act. II.

Maximi apud homines solet aestimari gratia et favor principum. Hinc enim lites et contentiones, invidiæ et æmulationes, labores et expensæ, ut hæc gratia obtineatur. Alii eam mercantur nummis, alii servitiis etiam indignis et abjectissimis, alii precibus, alii per fautores et amicos, alii deprecatione offensæ, alii modis aliis quærunt. Denique, se beatos putant, si magnatum gratiam habeant. Hinc enim Jacob, fratris sui Esau potentiam videns, cætera omnia, quæ ille offerebat respuens: *Hoc uno dicebat, indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo*, Genes. XXXIII. Quod si gratia hominum tantum aestimatur, et tam sollicitè quæritur, quanto magis gratia Dei aestimanda et quærenda est? De hac enim apostolus, ad Roman. VI. ait: *Gratia Dei vita æterna*, finaliter nimirum, quia ad vitam æternam ducit. Per hanc in nobis habitat Spiritus sanctus imo tota SS. Trinitas; ut ex evangelio hodierno claret: itaque omnia habet, qui Dei gratiam habet, qui hanc non habet; ut multo æquius dicere Deo possimus: *Hoc igitur*

tantum indigemus, ut inveniamus gratiam in conspectu tuo. Sed qua tandem arte et via gratiam hanc quaeremus, si in peccatis constituti, adeoque Deo exosi simus? Viam hanc indagare licet in hodierna epistola desumpta ex Actis apostolorum, ubi mystico sensu tanguntur opera illa, quae potissimum disponunt hominem ad receptionem Spiritus sancti et gratiam, ut videbimus.

I. Apostoli ascenderunt in superiorem partem domus et ibi manebant donec acciperent Spiritum sanctum ut patet ex Act. 1. capite, ubi Lucas ait eos ascendisse in cenaculum, Graece locum superiorem. Ad hunc modum habitare debemus in superiore parte domus nostrae, si Spiritum sanctum expectamus. Habet enim quilibet homo inferiorem contignationem, sensualitatem cum bestiis; et superiorem rationem cum angelis communem; et sic plerumque superior contignatio domus ornatior est, quam inferior ita et ratio longe nobilior sensualitate. Quis est, qui in inferiori habitat? Qui ad terrena inclinatus est, qui semper cogitat, quaerit et ambit honores, opes, voluptates, et quae oblectant sensus, quam animus semper est in patinis, ut loquitur quidam, qui appetitui suo frenata laxant, nec retrahunt eum a noxiis; uno verbo, qui ad instar pecudum sensibus ducuntur. Ad istos non descendit Spiritus s. Nam Isa. LII. dicitur Deus: *Dans flatum populo, qui est super terram et Spiritum calcantibus eam.* Quod ita exponit S. Irenaeus: « Flatum quidem omnino populo qui est super terram, dat Deus; Spiritum vero his tantummodo, qui terrena desideria calcant. » Ad haec quis nescit Spiritum et carnem seu sensualitatem sibi maxime adversari? Hinc fortasse Spiritus sanctus in specie ignis apparuit, non aquae aut terrae; item in specie columbae, non terrestri alicujus animalis, quia scilicet in sublimibus tantum habitabilis, id est, in hominibus qui rationis ductum sequuntur, et superna considerant, vult habitare. Ubi ergo inceperis a sensualitate tua exire, et ascendere in solitudinem cordis tui, tecumque cogitare, ad quem finem sis creatus, quam viam lucusque tenueris, quo tibi sit eundem, quantum a fine tuo aberraveris, unde excideris, et ubi haereas, compositisque tandem rationibus statueris sensualitati tuae imperare, et rationis ductum sequi, etc. tum appropinquabit tibi paulatim Spiritus sanctus, juxta id Jacob. IV. *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis.* Docet hoc prodigus filius, qui postquam in longinqua regione coepit egere: *In se reversus* (ait Salvator, Luc. XV.) *dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? Ego autem hic fame pereo. Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater peccavi in caelum et co-*

ram te, etc. Ad quid iste dicitur in se reversus, si non prius a se exit? « Qui non gubernatur ratione, inquit Theophylactus eo loco, sed praeter rationem vivit, et absurda alia exorditur, extra seipsum est; et non manet in sua substantia, hoc est, ratione. Quando autem quis cogitat in quantam venerit miseriam, tunc redit ad seipsum, considerans et in poenitentiam veniens a sua exteriori divagatione. » Ita Theoph. Consideret ergo peccator ante omnia statum suum unde et quo ceciderit, et cum Davide clamet: *De profundis a te Domine.* In quem locum S. Gregorius M. scribit: « Attendat unusquisque in quo profundo jaceat, et quam longe a Deo, perverse agens, effectus sit, et clamet ad Deum, donec de tenebris profundi erutus superno illustretur lumine, etc. » proponat etiam efficaciter agere poenitentiam et dicat: *Surgam et ibo ad patrem meum, etc.* Hoc enim facientes, cito habebunt obviantem sibi Deum Patrem caelestis auxilio, et cor ad poenitentiam permoventem, quemadmodum et prodigus rediens ad paternam domum obvium habuit patrem, accepit ab eo osculum, stolam, anulum, etc.

II. Locus in quo manebant et Spiritum sanctum praestolabantur, cenaculum fuisse scribit Lucas, id nimirum in quo Christus lavit pedes discipulis suis, et ultimam cenam praebuit. Quid nobis designat hoc cenaculum? Puto eleemosynam et opera misericordiae, quibus lavamus pedes pauperibus et cibum praebemus. Haec enim plurimum facere ad Spiritum sancti gratiam acquirendam ostendit exemplum Cornelii centurionis et gentilis, Act. X. cui dixit angelus: *Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Qui etiam monuit, accerseret Petrum, ut ab eo baptizaretur. Testatur etiam alter angelus, Tob. XII. dicens: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam:* et S. Augustinus, serm. VI. ad fratres in eremo: *Misericordia, inquit, ad Deum dirigit hominem, Deumque deducit ut habitet in homine:* et post pauca concludit: *Amate ergo fratres mei misericordiam, quia nunquam vidi piuum hominem mala morte finire.* Imo lib. XXI. de civit. c. XXVII. asserit quosdam sine eleemosynis non posse salvari, qui nimirum peccatis aut cupiditatibus irretiti, explicare se nequeunt, nisi pauperum preces majorem et efficacem gratiam illis obtineant. Si ergo cibaveris esurientes, cibavit te Christus pane gratiae suae; si laveris eorum pedes, lavabit te Christus a peccatis tuis; si vestieris nudos, ipse suis gratis et virtutibus te induet; si infirmos visitaveris, ipse te in tuis visitabit infirmitatibus; si peregrinos hospitio exceperis, excipiet te

ipse in caelo; si captivos redemeris, ipse te redimet ex inferno; si mœstos fueris consolatus, ipse te consolabitur in tuo mœrore, et gratiam efficacem praebit, ut veram instituas poenitentiam. Nam opera misericordiae, licet non sint proximum antidotum expellens pravos peccatorum humores, sunt tamen sirupi instar, eorundem ad veram contritionem, quae illos expellit, obtinendam. Habent quoad hoc divites magnam praerogativam et viam apertam deducendi ad se Spiritum s. quam non habent pauperes. Unde ex hac parte maximas Deo gratias agere debent, et uti hac facultate diligenter ad suam salutem; nec talentum sibi creditum fodere in terra, quo possent donum Dei maximum, Spiritum sanctum sibi mercari. Multum pecunarium dedisset Simon magus, si iis Spiritum sanctum emere potuisset, ut habetur Act. VIII. Sed quia is Spiritum sanctum proprie voluit emere, audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Eleemosynae nummis emi potest.

III. *Erant omnes pariter in eodem loco,* ait S. Lucas, Act. 1. quia scilicet: *Erat multitudinis credentium cor unum et anima una,* Act. IV. Propter hanc animorum unionem merito descendit super eos Spiritus sanctus, quod praedixit David, Psalm. CXXXII. *Eccc quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum? Sicut unguentum in capite* (Christo videlicet) *quod descendit in barbam, barbam Aaron,* (apostolos Christi) *quod descendit in oram vestimenti ejus. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion:* (Ecclesiam totam) *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem.* Per hoc unguentum intelligi potest, Spiritus sanctus, qui spiritualis unctio dicitur; similiter per rorem, qui in montem Sion descendit super apostolos et ceteros Christianos in eodem loco pariter congregatos. Qui ergo vult hujus benedictionis particeps fieri, omne imprimis odium et discordiam deponat, eum proximis se reconciliet, et injurias condonet: *Si enim dimiseritis,* inquit Dominus, Matth. VI. *hominibus peccata sua, dimittet et vobis Pater vester caelesti delicta vestra.* Nimirum haec remissio tamen non meretur remissionem peccatorum, obtinet tamen per modum interpretationis, si quidem rationem habet sacrificii et quidem excellentissimi, ut vult Augustinus, lib. L. homil. VI. et Chrysostomus, homil. de Davide et Saule. Et videtur inde colligi, quod Dominus jussit sacrificium relinqui in altari, et prius reconciliationem cum fratre fieri. Non pauca sunt exempla, quae ostendunt hanc remissionem peccatorum gratiam efficacem obtinuisse. Unum refert Tho. Cantiprat. lib. II. apum. c. XVIII. p. III. de nobili quodam milite saeculo dedito, qui cum occisori fratris sui necem intentasset, ro-

gatus tamen indulsisset, nullius praeterea boni sibi conscius, hanc a Christo reportavit gratiam, ut oranti et genua flectenti ad Crucifixum Christus caput inclinaret.

IV. *Erant ibidem perseverantes unanimiter in oratione,* ut ait Lucas, Act. 1. Oratio ergo commodissimum medium est ad gratiam Spiritus s. impetrandam. Audi David, Psalm. CXVIII. *Aperui os meum et attraxi spiritum,* inquit, q. d. attraxi precibus Spiritum s. ut intelligit S. Augustinus. Audi ipsum Salvatorem, Luc. XI. *Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se:* constanter videlicet et importune, ut sibi parabola ostendit. Quando itaque advertis te gratia Dei destitutum, adeoque te non habere ad instar illius amici, Luc. XI. descripti, quod animae tuae famelicæ apponas, perge ad magnum illum amicum Christum, et suscita illum ac postula, ut accomodet tibi tres panes: panem contritionis ad peccata defendenda; confessionis ad eadem rite confidenda; satisfactionis, ad eadem exsolvenda. Et si perseveraveris pulsans, propter improbitatem tamen tuam (licet amicus ejus non sis) surget et dabit tibi quotquot habes necessarios. Nonne gentilis mulier fuit Chananaea? Et tamen licet primo audiret: *Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus,* ubi non destitit precari, obtinuit non tantum filiae sanitatem, sed et sibi gratiam, quia: *Adoptata est in filiam honorata ad mensam, quae se sub mensam laudabili humilitate deiecit,* ait S. Petrus Chrysologus, ser. C. Nonne peccator Publicanus, et hic tamen brevi, sed ferventi oratione obtinuit Dei gratiam? Nimirum uti in candelam extinctam adhuc fumigantem, facile descendit ignis eamque accendit, si desuper illum teneas; ita gratia Spiritus sancti in ferventem, humilitatem et contritam orationem, quae instar incensi dirigatur ad Deum.

V. *Erant orantes: Cum Maria Matre Jesu et fratribus ejus,* ait Lucas, cap. 1. Quare si peccator timet, orationes suas non exaudiendas, quaerit sibi patronos, qui ejus causam agant. Petat primo, a viris justis, quos novit, ut pro ipso Deum orent. Scimus enim orationem S. Stephani impetrasse Sauli efficacem vocationem, et S. Monicam suis et aliorum sanct. vivorum precibus impetrasse conversionem filii sui Augustini. Scimus etiam Dominum remississe peccata paralytico, per motum fide gestantium illum et submittendum per tectum, Luc. V. In quem locum S. Ambrosius, l. V. in Luc. ait: « Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit animis, et dum alios probat, animis relaxat errata: » et paucis interjectis: « Si gravium peccatorum diffidid veniam, adhibe peccatores, adhibe Ecclesiam, quae pro te precetur; cujus contemplatione,